

Dr. Josef Mařan:

SPECIERUM SUBGENERIS DICHILLOCERUS RTTR. REVISIO.

(Col. Tenebrionidae Gen. Dichillus Duv.)

Dichilloceri, qui generis *Dichilli* (sensu Reitter; conf. E. Reitter, Wien. Ent. Zeitschr. 1916, p. 155 et 167) subgenus efficiunt, sunt Coleoptera omni ratione notatu digna; nam nonnullis insignibus specialibus, procul dubio e myrmecophilo vivendi modo (velut forma antennarum valde incrassata, striis elytrorum reductis, structura capitis, temporum, oculorumque etc.) valde inter ceteros *Dichillos* eminent.

Prima *Dichilloceri* species iam anno 1861 a dom. Kiesenwetter (Berl. Entom. Zeitschr. 1861, p. 224) uti *Hyperops pertusa* ex Attica rescripta est. Eodem anno dom. Reiche (Ann. Soc. Entom. Franc. 1861, p. 371—372) secundam *Dichilloceri* formam uti *Oedenocera biseriata* e Sicilia descripsit. Quarum alteram dom. G. Kraatz (Berl. Entom. Zeitschr. 1862, p. 96 et 98) pro varietate, dom. E. Reitter (Deutsch. Entom. Zeitschr. 1886, p. 143) pro synonymo speciei *pertusae* Kiesw. habitat.

Specimen sicilianum (*D. biseriatus* Reiche), quod ante oculos habeo, cum descriptione a dom. Reiche (l. c. p. 371-2) data, sine dubio identicum, discrepat tamen a speciminibus atticis et ab illis ex Asia Minore (Smyrna) pronoto brevioris, magis dilatato, paullo fortius punctato cum microsculptura inter punctos minus densa, elytris brevioribus cum stria tertia (ut iam dom. Kraatz l. c. p. 98 commemoravit) punctis tantum lenibus indicata, striis ceteris fere totaliter deficientibus, superficieque tota subnitida, minus dense microsculpturata, quamobrem *Dichillocerum biseriatum* Reiche potius rassam sicilianam *Dichilloceri pertusi* Kiesw. efficere posse credo.

Specimina Dichilloceri pertusi ex Asia Minore (Smyrna) ab iis ex Attica stria tertia elytrorum fortius indicata pronotoque parum longiore differunt et formam transgredientem ad *Dich. crassicornem* Rtrr. efficere posse concedo.

In montibus Psiloritis (Creta centr.), itinere nostro V. 1934 nonnulla specimina novae speciei subgeneris *Dichillocerus* invenimus, quam speciem *Dichillocerus Obenbergeri* m. nov. in nohorem dom. clarissimo Doc. Dr. Jan Obenberger nomino.

Dichillus (Subg. *Dichillocerus* Rtrr.) *Obenbergeri* m. nov.

Ferrugineus, convexiusculus, antennis crassimis, brevibus cum articulis valde dilatatis, articulis 3—5 latissimis, inter se fere aequalibus, ceteris apicem versus sensim angustatis, articulo penultimo crasso, praecedente haud minore et quam ultimo multo latiore. Capite sat elongato, latitudine longiore, supra dense sat crebre punctato, temporibus fere parallelis, oculis minimis, carinulla supraorbitali deficiente, temporibus postice tantum brevissime sulcatis, collo distincte constricto. Pronoto latitudine longitudine sua fere aequilongo, summam latitudinem longe ante medium (in $\frac{1}{4}$) attingente, supra ut in capite sed paullo sparsius punctato, minus nitido, crebre et dense microsculpturato, lateribus antrorsum fere recte, retrorsum rotundatim attenuatis, angulis anticis modice subdepressis, margine laterali levissime subreffexo.

Elytris convexiusculis, ellipticis longe pone medium latissimis, striis 1-a., 2-a et 3-a profunde insculptis et fortissime punctatis, stria 4-a levius impressa sed distincte indicata, striis ceteris obsoletius impressis et minus forte punctatis, margine laterali tenuiter sed distincte indicato. Long. 2.8—3 mm.

In affinitate *Dich. crassicornis* (All.) Rtrr. et *Dich. damascenus* Rtrr. pertinens, differt a primo descriptione sensu, temporibus retrorsum haud attenuatis, capite et pronoto fortius punctato cum margine laterali leviter subreflexo, striisque externis elytrorum fortius indicatis. A *Dich. damasceno* Rtrr. iam carinulla supraorbitali deficiente ben distinctus.

Habitat: Creta centr. Montes Psiloritis. V. 1934. In fornicariis sub lapidibus specimina nonnulla invenimus.

Typi in Coll. Bartoň Musei Nat. Pragae conservantur.

Tabella analytica subgeneris *Dichillocerus*, ab. E. Reitter in Wien. Ent. Zeit, XXXV. 1916, p. 167 data, modo sequenti modificanda est:

1" Elytris infra striis duabus forte impressis, fortissimeque punctatis, stria tertia multo lenius insculpta vel tantum in basi modice indicata, striis ceteris plus — minus obsoletis.

2" Antennis articulo tertio latissimo, apicem versus fortius angustatis, capite in angulis gennarum pronoto paullo latiore, pronoto latitudine distincte longiore. Long. 3—3.5 mm. Habitat: Transcaucasia-Araxes.

araxidis Rtrr.

2' Antennis articulo quarto et quinto latissimo, versus apicem minus angustatis, capite in angulis gennarum pronoto haud latiore, pronoto latitudine sua haud vel parum longiore.

3" Supra minus nitidus dense microsculpturatus, pronoto longiore, minus lato, elytris stria tertia fortius indicata et etiam stria quarta et quinta conspicua. Habitat: Attica; Asia minor

pertusus Kiesw.

3' Nitidor, supra minus dense microsculpturatus, pronoto paullo latiore, elytris stria tertia basi tantum conspicua, ceteris omnino obsotetis. Habitat: Sicilia

pertusus ssp. biseriatus Reiche.

1' Elytris infra striis tribus forte impressis fortissimeque punctatis ceteris sensim obsoletius indicatis.

4" Capite carinulla supraorbitali deficiente.

5" Capite et pronoto supra minutissime punctato, temporibus retrorsum sensim attenuatis, pronoto longiore cum margine laterali tenuiter indicato, haud reflexo (ex Reitter). Long. 2.8—3 mm.

Habitat: Syria, Mesopotamia (pertusus ssp.?) **crassicornis** (All.) Rtrr..

5' Capite et pronoto supra sat crebre punctato, temporibus retrorsum parallelis, pronoto breviorum cum margine laterali modice subreflexo. Long. 2.8—3 mm. Hab.: Creta centr. Montes Psiloritis.

Obenbergeri m. nov. sp.

4' Capite cum carinulla supraorbitali longa, pronoto longitudine latiore cum margine laterali subreflexo. Long. 2.8—3 mm. Habitat: Damascus.

damascenus Rtrr.